



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

§. 1. Aegroto moroso seruiens, Angelo comperatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

CAPVT XXXVI.

Mira patientia & charitas eorum, qui egrotis seruiuerunt.

**V**erè charitas patiens est, nec in hac, sed altera vita sperat retributionem. Quare si vera charitas est, non vultu, non verbis, non vllis rebus molestis sinit se se absterri ab altero adiuuando, *Ioannes minor Thebaus, discipulus Abbatis Ammonis, duodecim annis ipsi seni infirmanti fecit obsequium: senex tamen, cum vidisset eum laborantem, numquam illi sermonem blandum aut placitum locutus est. Cum autem de hoc mundo transiret, sedentibus alijs senibus, tenuit manus eius, & dixit ei tertio: Salueris, salueris, salueris. Et tradidit illum senibus, dicens: Ille non homo, sed Angelus est, qui tot annis mihi infirmanti seruiens, nec bonum sermonem audiens, fecit tamen obsequium cum magna patientia. Patuit ergo consilium senis, nulla verborum blanditia constantem fratris sui charitatem labefactare volentis; Neque frater ei, vt laudaretur, seruiuit; sed ad altius in cælo præmium asperxit. Quod & consecutus est. Hoc cælestis gloriæ magnetem qui trahitur, non sibi, non laudi humanæ, sed vtilitati proximi seruit, in quo seipsum, in quo suam naturam, in quo DEVM inuenit.*

I.

Heribert.  
Rosveid. l. 7.  
de vitis SS.  
PP. cap. 19.

Diuersa vnus corporis membra inter se se vnit anima. Fides vna in Christo, vna in Christo charitas longè arctius inter se vnit Christianos. *Sicut enim in vno corpore multa mēbra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: (ait Apostolus) ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Et alibi monet, vt non sit schisma in corpore, sed id ipsum pro inuicem sollicita sint membra. Et si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra. Tanta igitur est, aut etiam maior conjunctio membrorum, si charitate, & fide jungantur, quanta si vna anima jungerentur. Vnde & de primis illis Ecclesiæ membris dicitur: Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna. Sicut ergo in vno homine, vnum membrum alteri succurrit, & auxiliatur: ita si quis alteri est charitate copulatus, cum non deserit, sed siue læto, siue tristi, tamquam mem-*

II.

Rom. 12. 4.

1. Cor. 12. 25.

Act. 4. 32.